

Dissertatio inauguralis medico-obstetricia De extractione placentae quam consensu gratiosae facultatis medicae pro licentia gradum medicinae doctoris rite assequendi eruditorum examini submittit die XXIII. Junii a. MDCCLXXXIII. Carolus Frider. Geiger.

Contributors

Geiger, Charles Fréderic.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Argentorati : Typis Lorenzii & Schuleri, direct. nobilit. typogr, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d59bh6h8>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Huntorian Add. 174

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-OBSTETRICIA
DE
EXTRACTIONE
PLACENTAE
QUAM CONSENSU
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
PRO LICENTIA
GRADUM MEDICINAE DOCTORIS
RITE ASSEQUENDI
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
DIE XXIII. JUNII A. MDCCCLXXXIII.
CAROLUS FRIDER. GEIGER
SCHOPFHEMIO - BADENSIS
IN AUDITORIO ACADEMICO MINORI.
HORA CONSUETA.

ARGENTORATI,

Typis LORENZII & SCHULERI, Direct. Nobilit. Typogr.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b24922195>

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MARCHIONI BADENSI
ET
HOCHBERGENSI
LANDGRAVIO SAUSENBERGENSI
COMITI SPONHEIMENSI
ET EBERSTEINENSI
DYNASTAE IN ROETELN, BADENWEILER,
LAHR, MAHLBERG ET KEHL &c. &c.
REGII AB ELEPHANTO ORDINIS EQUITI
PRINCIPI MARCHIONI.

AEREMISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
CAROLO FREDERICO
MARCHIONI BUDENSI
AC
ET
DOMINO DOMINO
CLEMENTISSIMO
HOC QUIDQUID EST PAGELLARUM
DEVOTISSIMA MENTE
SACRAS ESSE CUPIT.
AUUTOR.



§. I.

Quamvis eo quidem inter se convenerint hisce temporibus obstetriciarum scientiarum periti, ut aliquod parvulum licet temporis spatium, infantis enixum inter atque placentae extractionem esse, non amplius nolint, nondum tamen quid omni casu fieri debeat, bene determinatum est, aliis omnia naturae committentibus, aliis forsan huius viribus nimium difidentibus. Hinc mihi propositum est, collatis auctorum sententiis & studiose pensitatis observationibus, eruere, quid quovis in casu agendum sit; exponam igitur primo placentae secessum si omnia secundum naturam fiunt, deinde eos adducam ubi non bene suum opus absolvit illa.

§. II.

VETERUM OPINIO.

Neminem qui scientiis ad rem obstetriciam pertinentibus operam navat, latet, faeculi spatium parum superare tempus ex quo studiose coluntur, coecum fuisse ante manuum opificium a mulieribus exercitum, & viros doctos, si

A

ullum,



ullum, perfectum saltem nunquam & re tanti momenti dignum in illas posuisse studium. Quum igitur, gravi obveniente casu, bonae mulierculae medicum hominem in auxilium vocavere, non semper eam opem tulit hic, quae a peritissimo postulari sed qualis a viro reliquis in medicinae partibus versato expectari queat. Non possum enim illam, de HIPPOCRATIS, circa extractionem placentae, doctrina, ferre sententiam, quam tulisse nonnullos auctores (*a*) lego; apparebitque, si loca, quae mox adducam, attento animo perleguntur, meliorem, circa naturalem placentae secessum, non habuisse ideam illum, quam sequentes omnes ad LEVRETI & PUZOS tempora usque; atque unice differre praecepta a MAURICEAU usque ab illis, quae hic, eumque sequentes praecipue coluere, quod HIPPOCRATES exitum acceleraverit medicamentis, MAURICEAU manu. Uterque si facillime & citissime non exiit placenta sponte, ante solutionem funis opem tulit, uterque, si huic non cessit illa, naturae curam commisit, uterque etiam putrescentem corpus inficere novit.

Dicit nimirum HIPPOCRATES (*a*) nisi facillime cedat placenta, per gradus & sine vi funem esse trahendum, *non dum soluto infante*, ne subita extractione inflammatio oriatur. Quod ut fiat infantem utri imposuit aqua repleto, & foraminulo perforato, ut, dum aquae successivo exitu uter comprimebatur, tenderetur funis atque sensim educeret infantem. Alibi (*b*) iterutatorio placentam expellit, nasum simul & os obturans. Alio iterum in loco (*c*) vult placentam quae non

(*a*) HARTTRAMFFT, *Diss. de non differenda secundinarum extractione*. Lips. 1735. §. XII. GEHLER, *de utero secundinas expellente*. Diss. 2da. Lips. 1767. §. III. HIPPOCRATEM in illam auctorum classem ponunt qui differendam suadent extractionem.

(*a*) *De superfoetatione*, Cap. 3.

(*b*) *Aphorism. 49*, Sect. V. 3. *Epidem. L. II.*

(*c*) *De Morb. Mulierum*, L. I. c. 49—53.

non sequitur, dolores ventris creare & febres cum frigore, egressa autem illa in sanationem redire foeminam; placentam ut plurimum corrumpi & sexto septimo die, vel & citius, exire. Dantur aromatica, quibus si non promovetur, putredine diffluet.

CELSUS (*d*) secundinas potionē aquae pellit cui sal ammoniacum f. dictaminus creticus adiectus est; deinde (*e*) praecipit, ubi de partu foetus mortui agit, protractum infantem tradi ministro, qui eum supinis manibus sustineat, medicum deinde sinistra manu leniter trahere ita, ne funem abrumpat, dextraque eum sequi usque ad secundas, hisque ultimis apprehensis, venulas membranulasque omnes eadem ratione manu diducere a vulva, totumque illud extrahere, & quicquid intus praeterea concreti sanguinis remanet.

AETIUS (*f*) atque PAULUS (*g*) parimode ac Hippocrates, placentam putredine solutam sponte diffluere afferunt. Idem posthinc AVICENNA (*h*).

ALBUCASES (*i*) ait: Si retinetur secundina, fac sternutare mulierem; si non sequitur, fumiga uterus; si nec tum obeditur, manum ingere & exime, vel adhaerentem prius solve. Si nihil efficis istis, cave ne fatigeris, & desperes.

MERCURIALIS (*) Si partus debet esse legitimus, necesse est post foetum exeat secundina. Saepe fit ut secundina retineatur. Idem quod foetum mortuum, etiam placentam expellit.

A 2

BONA-

(*d*) *De Medicina*, L. V. c. 25, n. 13.

(*e*) L. VII. c. 29.

(*f*) *Med. Art. Principes*, T. II. p. 791.

(*g*) *Oper. Lugd.* 1589, p. 635.

(*h*) L. III. Fen. 21. Tract. I. c. 16.

(*i*) *De Affectibus Mulierum*, c. 79, v. SPACHII *Gynaeciorum Libri*, p. 447.

(*) *De Morbis Mulier.* L. III. C. 4. SPACH. p. 237.

BONACIOLI & reliqui quos SPACHIUS congesit auctores eadem carmina canunt.

EUCHARIUS RHODION (*k*) pellentia ordinat medicamenta, & lenem funis adductionem, si placentae quid in foribus apparet; omnino vero a valida quacunque agitatione esse abstinentem, & naturae potius expulsionem committendam.

PARÉ (*l*) quam primum exclusus foetus est, extrahi iubet placentam, ne os uteri claudatur, & dein funem ligari; extractionem autem primo fune, tum manu molitur simulque medicamenta exhibit.

§. III.

RECENTIORES EXTRACTIONEM FESTINANTES.

Recentiores a MAURICEAU incipiunt, cognitionis verae obstetriciae non restauratore, sed primo fundatore; ille vult (*m*) quam primum natus est foetus, nondum discisso fune, manu una funem tenente & perparum ne adhibita virumpatur adducente, altera utero intromissa solvi & educi placentam, semina interim tussiendo, sternutando, quin arte vomitus ciendo, ministro vero abdomen manu leniter fricando, exclusionem promovente. Pellentia ore assumta medicamenta ab aliis commendata damnat.

DEVENTER (*n*) fune abscisso omnem operam sine mora secundis extrahendis impendendam esse; nunquam neque attrahendum funem, neque medicamenta danda esse quae

(*k*) *De Partu hominis.* 1532. C. VI. p. 26.

(*l*) *Les Oeuvres d'AMBROISE PARÉ,* fol. Par. 1585. L. 24. c. 17.

(*m*) *Mal. des femmes grosses* Par. 1712. p. 248.

(*n*) *Novum Lumen.* I. p. 125.

placentam extrudant. Manum vel ante funis abscissionem esse ingerendam, si bene valet infans.

Ante funis discissionem, manum introducit VAN HOORN. (o).

Videtur utique DIONIS (p) naturae in expellenda placenta virtutem bene perspectam habuisse, aevi autem quo vixit consuetudini resistere ausum non esse, & hinc praceptis quae MAURICEAU dedit, sese accommodasse, maluisse tamen funem prius abscondi, & placentam quae moderato auxilio non obedit, vi non avelli, spontaneam potius solutionem aliquot elapsis horis expectari.

Naturalis placentae eductio secundum LA MOTTE (q) fit, funem quam primum natus est puer attrahendo, & feminae ut propriis conatibus, tussi, vomitu &c. subveniat, imperando, extracta placenta dissecatur funis.

Inter hujus classis auctores nemo ETTMÜLLERO (r) magis nuperrimorum menti sese appropinquavit, agnoscit enim uterum prouti foctum ita & secundas propria vi expellere (l. c. VIII), hasque relinquere praestare, quam manus remediorumque nimis violenta opera omnia turbari (§. XIII); eatenus vero hoc potius loco ponendum erit, quatenus plus minus acceleratam uteri contractionem ignoravit. Dicit enim, si moram agant secundinae, ante quam praescindatur funiculus, levi huius tractione exitum promoveat obstetrix, & cohortetur mulierem ut pristinos conatus repeatat, siue firmius adhaereant, abscissio nunc fune manum utero immittat, & simul interna atque externa mollientia vel stimulantia, prout necesse est,

A 3

dentur

(o) *Die zwei Wehmütter*, Leipz. 1737. p. 64.

(p) *Traité des Accouchemens*. Par. 1718. p. 219.

(q) *Traité des Accouchemens*. Par. 1722. 4. p. 160.

(r) *De secundinarum exclusione* Resp. SCHUSTER, Lips. 1726.



dentur remedia (§. IX-XII); quod si vero omnia in cassum fuerint adhibita, naturae totum negotium relinquendum.

Confestim etiam, ligato vero antea fune & absctisso, educi placentam suadet DENYS (s), quamvis alios naturae rem committere bene sciverit, sola vero prudenti manuum opera utitur, parturientis nixus, prementes, sternutatorios &c. in totum damnans.

CHAPMAN (t) natum infantem protinus femovet, & manum, ne claudatur orificium continuo, immittit.

Celebris olim huius urbis obstetricans FRIDIUS penitus MAURICEAU consentiit, iubens nondum secto fune manu utero immissa depromi placentam, eaque doctrina discipulos HARTTRAMFFT (u) STUART (x), THEBESIUM (y), FILIUM (z), imbuit; catenus vero ultimus mechanismi partus principiis nutritus abscedit, quod antea infantem discisso fune removeat, tentet num leni funis adductione sequatur placenta & sternutationem &c. adhiberi nolit.

VIARDEL (a) non ligatum funem adducit & feminae conatus petit, quodsi non succedit, scindit funem & pellentia matri dat, hisque non proficuis, manu utero ingerit.

PLEVIER (b) funiculum curat, & si, dum hoc fit, placentam sponte non elabitur, protinus manu ingesta eam eximit.

Ex-

(s) Over het Amt der Vroedmeesters &c. Leyd. 1733. p. 275. sq.

(t) A Treatise on the Improvement of Midwifery, Lond. 1759. p. 131.

(u) Diff. cit. p. 7.

(x) Diff. de Secundinis salutiferis ac nocivis. Arg. 1736. p. 30.

(y) Gebammienkunst. §. 303.

(z) Unfangsgründe der Geburtshülfe, §. 195, 202.

(a) Obs. sur la pratique des Acc. Par. 1748. p. 194.

(b) De Gezuiverde Vroedkonst, Amst. 1751. 4. p. 82.

Expeditissimum videtur BURTONO (*c*), nato fetu & dif-
fecto fune, sine mora manu placentam decerpere, quod eo
momento facile admodum & nullo modo dolorificum est.

Prius quam funis ratio habeatur ut manu ex utero pe-
tatur placenta jubet. MESNARD, (*d*).

BOEHMER (*e*), si adducendo funem non statim exit pla-
centa, manu immissa eximit.

§. IV.

RECENTIORES A NATURA EXPULSIO- NEM EXPECTANTES.

Anatomica pollens scientia subtili RUVSCH (*f*), muscu-
lares in gravi uteri fundo animadvertis fibras copiosiores
quam in reliqua hujus visceris parte, videbantur ipsi a na-
tura datae esse, ut contractione placentam fundo inhaeren-
tem propellant; hanc igitur manu extrahi non debere, qua
certo sese exinanibit matrix, suadet.

A contractione uteri pendere separationem placentae
perspexit MONRO (*g*).

Solum esse naturae opus & sequelam illius qui foetum
produxit laboris placentae exitum egregie docuit PUZOS (*h*),
parum communiter auxiliū petere, sub lenibus qui adsunt
doloribus extus abdomen fricandum, & explorandum esse
hinc

(*c*) *Système nouveau & compl. de l'Art des Acc.* trad. par LE MOINE.
Par. 1771. T. I. p. 197.

(*d*) *Guide des Acc.* Par. 1753. p. 200.

(*e*) *Diff. de solvendis & extrahendis secundinis R. SPANNAGEL.* Hal.
1759. p. 34.

(*f*) *Tractatio de Musculo in fundo uteri observato.* Amst. 1726. p. 9.

(*g*) *Ess. & Obs. de Médecine de la Soc. d'Edinb.* T. II. n. 11. p. 298.

(*h*) *Tr. des Accouch.* 4. Par. 1759. p. 141.



hinc inde num orificio uteri appropinquet placenta, quo facto, si dolores debiles tardius superent id, exitum fovere spiritus contentionem manuumque inflationem, quae nondum soluta placenta plurimum nocent.

Ita & LEVRETUS (*i*) qui eximie, forsan nimis matemate, mechanismum partus exposuit, ex foetus exclusione illam qua placenta semovetur deduxit, docuitque separationem tempore a natura definito praestari, & artis esse, illo momento extractionem promovere.

OULD (*k*) viribus uteri expelli placentam docet, lenes commendat funis adductiones & nixus uteri, damnat violentas, & manus usum; huncque non nisi conditiones paternatuale quid offerant, concedit.

Uteri etiam contractions expectavit SMELLIE (*l*), quibus soluta placenta, funis tractione, motibus feminae, & si requiritur manus intromissione, e corpore exit.

Expectatione & funis prudente adductione quinque sive decem minutis semper placentam eduxit PUGH (*m*), manum, nisi ruptus fuerit funiculus, non introduxit & nunquam vomitum civit.

CRANZ (*n*) contractions uteri expectat, deinde funem moderate attrahit.

ROEDERER (*o*) in partu facili sua sponte placentam, vel leniorem funiculi tractionem sequi docet, unice igitur id agit, ut prudenter funiculum adducat, quam primum gemellos non adesse certus est.

Con-

(*i*) *Art des Accouchemens* §. 773. sq.

(*k*) *Treatise of Midwifery*. Lond. 1767. 8. p. 67. &c.

(*l*) *Traité de la théorie & pratique des Acc.* Par. 1754. T. I. p. 242.

(*m*) *A Treatise of Midwifery*. Lond. 1754. p. 25.

(*n*) *Einleitung in eine wahre Gebammekunst*, Wien, 1756.
p. 51.

(*o*) *Elementa artis obstetriciae*. Goett. 1766.



Contractiones placentae non anticipari vult VAN SWIETEN (p).

Nunquam sibi deesse naturam, quae nullo in casu non absolvet suum opus, modo detur mora; ubicunque manus inducebatur aegrius convaluisse mulieres: verba sunt HARVIE (q). Sub uteri contractione fricitur abdomen, tantummodo adducatur funiculus ut tensus sit, siue digitis ostio uteri admotis placenta percipitur, attrahatur ille.

Concludit GEHLER (r) in statu naturali placentam, si foetum non statim sequatur, nunquam esse medicamentorum auxilio movendam, sed expectandos esse naturae motus & uteri contractions.

Semper naturae relinquit expulsionem placentae VOGEL (*) nisi haec oftio uteri adhaereat.

Similia docet PLENCK (s). Concise SAXTORPH (t) theoriam placentae expulsionis & nitide proponit.

LE MOINE (u) qui BURTONIS textui propriam apposuit sententiam LEVRETUM sequitur; eadem via ambulat DELEURYE (x).

STEIN (y) acutus ille doctrinae LEVRETIANAE expolitor & acris adversariorum censor suum tribuit naturae, eamque opem fert quam ad HARVIE dixi.

Omnium auctorum contulit sententias & pro illis qui
B natu-

(p) *Comm. IV.* §78.

(q) *Practical directions, shewing a method of preserving the perinæum in birth, and delivering the placenta without violence.* Lond. 1767. p. 1443.

(*) *De non acceleranda secundinarum extractione,* Resp. APPUN. Goett. 1768.

(r) *Diss. II.* p. 32.

(s) *Geburtshilfe.* Ed. 3. p. 104.

(t) *Erfahrungen die vollständige Geburt betreffend.* Ropp. 1766. p. 89.

(u) l. p. 198.

(x) *Traité des Accouchemens* Par. 1770. §. 850.

(y) *Theoretische Anleitung zur Geburtshilfe.* Cassel, 1777. §. 195.



naturam respicientes, ab illa separationem & expulsionem postulant, militat egregius suo in opusculo AEPLI (z). Natura solvit placentam, artis est promovere exitum, si signa solutionis perfectae adsunt.

Strenuus naturae in arte obstetricia cultor cl. BAUDELOC-
QUE (a) contractionibus uterinis separationem placentae re-
linquit, expulsionem promovet.

§. V.

RATIONES FESTINANDAE EXTRACTIO-

NIS ET PROCEDENDI MODUS.

Dicendum iam est, cur adeo celerem manum admoveant illi, cur cunctentur hi.

Omnibus, vetustissimis aeque ac recentibus auctoribus (§. II. III.) perspectum erat, secundas interdum foetum continuo sequi, ita ut eodem momento omnia nascantur; videbatur ipsis hic naturae maxime conveniens placentae exitus esse, & deficeret illam, si, quod ut plurimum accidit, tempus aliquod foetus partui atque placentae egressioni interpolnitur, & quoniam foetu egresso inutilis fit placenta, quam oxyssime semovendam iusserunt. Hunc scopum assuequi sepe putabant veteres (§. II.) si funem attraherent, medicamenta, quibus pellens vis adscripta est, exhiberent, & mulierem cohortarentur, summis nixibus, spiritus contentione, tussi, sternutatione, vomitu artificiali deorsum premere abdominis contenta. Illi obstetricantium qui a MAURICEAU temporibus in eius partes transiere (§. III.), princeps auxilium manus operae tribuunt, & priorum methodum vel in totum reiecerunt, vel pro secundaria ope habuerunt.

Duo

(z) Die sichere Zurücklassung der Nachgeburt in bestimmten Fällen. Zürich. 1776.

(a) L'Art des Acc. Par. 1781. §. 858.

Duo igitur hic trutinanda sunt, primum, num adeo necessarium sit, momento partus secedere placentam? alterum, num procedendi illorum auctorum modus sine noxa expectationi respondeat? Notari autem velim, me hic de naturali tantum placentae expulsione verba facere.

Primum quod attinet, sciendum est, veteres uteri vires ignorantibus persuasum sibi habuisse, ipsum foetum suae nativitatis auctorem esse, putasse igitur, excluso hoc, nihil superesse quod placentam, cui sane nulla actio inest, propellere posset, atque uteri orificium continuo claudi & secundinarum quae cum foetu prolapsae non sunt, exitum denegare; confirmavit hanc opinionem verissima observatio, qua constat, os uteri maxime dum foetus transibat, expansum, suo elatere simulac extendens foetus exiit, iterum constringi. In eo autem erraverunt quod opinati sint, tantum arctari illud, ut eam quam ante partum habuit angustiam acquirat, hodierna enim observatione confectum est, pluribus post partum horis ita hiare, ut digitos duo tresve capiat, & tota manus sine multa molestia penetrare possit; idem & sequente paragrapho ulterius elucescet. Foetum natum ante omnia a placenta, ligato & discisso fune, separandum esse, iam sponte intelligitur.

Secundo examinandum est, an media auctoribus usitata in veram puerperae salutem unice tendant. Medicamenta interna stimulantia a vetustissimis auctoribus commendata & a multis post MAURICEAU nondum relicta, casta nequam fert therapia. Mulier quidem vehementi parturitionis labore fatigata, prostrataque, primo intuitu alimentorum & remediorum robore indigere videtur, & hanc ideam sequentes veteres, puerperis prospexerunt; sera vero Medicos docuit experientia, tantam muliebri naturae inesse potestatem, ut partus negotio non fracta, novos suscipiat motus, lac secerrentes, hosque facile in nimium augeri, omnia proin-



de quae vim vi addunt perniciem afferre. Iamque fieri nequit ut medicamentum internum assumatur, quin toto in corpore propriam virtutem exerceat; quanta proinde mala roborantia, quin valide stimulantia corpori inducant facile colligitur; quam aptum contra sit regimen puerarum frigidum docet rarum febris in feminis hoc modo tractatis exemplum. Nixus quicunque voluntarii parturientis, atque attractio funis, placenta nondum soluta sed firmiter utero adhaerente efficiunt, ut uterus simul deorsum feratur, invertatur atque inversus extra vaginam prolabatur; quod triste fatum, tristius haemorrhagiae letalis, inflammationis gangraenosae, convulsionum certo secum dicit. Funculo medio placentae implantato sequuntur uteri inversiones, marginibus vero si inhaeret ille rumpitur; hoc & illo in casu ex funis debilitate accidit. Copiosissima apud auctores maiorum his ex fontibus ortorum prostant exempla (b). Prudentiori quidem consilio si avelli placentam gestit obstetricans manu intromissa eam deglubit, quam quippe neque uteri inversiones nec facile febres sequuntur, quum autem immediate post partum firmus sit secundinarum nexus, & hinc violenta debeat esse earum separatio, ea nunquam sine atrocibus doloribus, rarissime sine dolorum partum sequentium molestia, raro sine inflammatione atque symptomatica febre vel & haemorrhagia, uteri vasis non contractis, fieri potest. HARVIE (c) observasse se dicit, ubicunque manus utero introducebatur, minus bene convaluisse aegram. Ipse MAURICEAU (d) mor-

(b) Inversiones uteri interdum producunt vehementiores dolores & nixus, HARVIE p. 25. LE ROUX *Obs. sur les pertes de sang.* §. 95. Saepius vero easdem funis inconsiderata adductio, producit, AMAND *Obs.* 160, 182. MAURICEAU *Obs.* 355. LE ROUX *Obs. sur les pertes de sang.* §. 96. Haemorrhagias sine inversione notaverunt multi, sive avulsa sit placenta, sive parte tantum quadam separata.

(c) p. 14.

(d) mortem octavo puerperii die, in femina quae tertio relictam adhuc placentam edidit, non huius retentioni sed violentiae, quae inutilis, ut extrahatur illa, adhibebatur, tribuit. Inflammatio uteri letalis post rudem manuum operam & remedia (e).

Malum igitur est manum praecociter ingeri, peius funem attrahi & feminae concussions postulari, pessime medicamentis internis uti.

§. VI.

NATURA PLACENTAM PELLIT. AUXILIUM.

Per absurdum, uti vocant Logici, demonstratum iam est, praestare naturalem placentae expulsionem, reieci nempe omne acceleratum auxilium. Verum idem nuperrimi autores, functiones uteri explicant, perbelle dilucidaverunt. RUY SCHIUS (f) primum, nihil agi, ferio iussit, musculo in fundo uteri haerente, sua contractione primo solvente deinde expellente secundinas. Minuta quidem postea huius musculi potestas est, effectus tamen interim adscripti, utique locum habentes, veriori addicebantur caucae. Didicerunt sensim medici foetum ex utero fese non expedire sed huius contractionibus propelli, & eas tamdiu perdurare, doloresque ac nixus depellentes feminae, contractionum sequelas, donec omnia uteri contenta in lucem venerunt. Excluso scilicet foetu, uterus magis magisque, minuere volumen nititur, dumque contrahitur, irradicationes placentae extrudit, totamque solvit; paulo post so-

B 3

lutam

(d) Obs. 162.

(e) Ib. Obs. 294. Similis fere, praegressa haemorrhagia Obs. 504.



lutam ostio suo interno appellit, quo in loco ab explorante digito percipitur; hoc elasticitate iamiam aliquatenus contractum, novo dolore expanditur (*g*), & transmittit tandem secundinas. Praecipua contractionis vis fundo uteri inest, crassissima quippe, robustissimaque totius parte, multo sane maiorem ille habet, quam tenuissimum debileque collum, docetque omne quod expellendo foetui secundinisque impenditur tempus, quo magis contrahitur uteri fundus, eo flaccidius fieri, eoque magis hiare orificium. Prouti non continuis sed interruptis doloribus excutitur foetus, ita & placenta; interdum ultimi qui foetum pellunt dolores vehementia sua simul solvunt atque expellunt (*h*); saepe eis solvitur & paulo post expellitur; alias egresso foetu silent dolores per horae quadrantem & ultra, dein iterum plus minusve magni ingruunt, cunctanter solventes expellentesque secundas.

Contractionis uterinae signum post foetum natum, manus habetur abdomini imposita, qua uterus modo supra umbilicum elevatus, nunc infra eum esse percipitur; & efficaces in solvendis secundinis fuisse dolores sanguis monstrat ex vulva effluens, eum enim nunc aperta uteri vasa emittunt.

Quidnam igitur obstetricantis in naturali secundarum exitu officium est? en sequentia facito.

1) Ligato & absctisso fune, manum mundatam abdomini imponat, examinans num contractione minuatur uteri ambitus, numve aut iners plane non contrahatur, aut contractus licet, insolitum volumen retineat, & hinc gemelorum suspicionem suscitet (de qua re in posterum). Primum si obtinet, manus illo abdominis in loco quem subtus uterus

tenet

(*g*) Omnes uteri in partu contractiones orificium aperiunt.

(*h*) Hunc placentae egressum Veteres naturalem esse putaverunt, rarus autem est, atque mali ominis; uterus enim ea celeritate non contrahitur, & haemorrhagia gravior sequi solet.

tenet, leniter circumducta, huius contractiones promovebit. Interim alterius manus digitis duobus bis circumvolvit funis, quam proxime vulvae, & tensus retinetur non autem adducitur.

2) Si contrahitur uterus, & vaginae elabitur sanguis, manus hucusque abdomini impositae digitii duo, funiculo imponuntur, & eo duce in vagina promoventur ore uterino tenus, explorantque num iam adsit placenta. Si nondum; manus vagina extracta, & aqua refrigerata abdomen denuo fricat, ut eo citius contractione pellatur placenta. Hoc alternatim toties fit, donec ostium ingreditur placenta. Tum, si media parte fere offert (quod tamen rarius accidit, si uti praecepi funis attractus non est) digitis orificium paulo dilatatur, ut placenta prehendi &, iuncta nunc funis adductione atque leviore puerperae nixu, educi sensim sed lente queat; saepius, si inepte non tractus funis est, margine placenta intrat (natura enim semper eo modo expellit, qui facillimus est, margines autem, tota placentae massa, minus voluminosi sunt) eaque facilis prehendi & extrahi potest. Non raro, dum abdomen manus fricat, os uteri superat placenta, & tota exploratione in vagina reperitur. Quum iam ibi est haec, tribus manus unius digitisprehenditur, & vertendo educitur. Si ad vulvam pervenit, altera admovetur manus dum prior denuo postico latere placentam capit, & ulterius vertendo educit. Egressa omni, saepe membranarum finis os uteri nondum reliquit, & facile, si festinanter trahitur, rumpitur; duo igitur digitii, in furcam aperti, in ipsa vagina membranas comprehendunt, & leni tractione simulque versione educunt.

Utero antrorum obliquo, lente omnia procedunt, iubent tunc auctores, una manu tensum tenente funem, alterius digitis duobus ori uterino admotis, deorsum retrorsumque deprimi funem, ut in axin derivetur uteri actio,

&



& facilius solvatur placenta. Mihi haecce methodus non probatur, sed manu abdomini imposito prominentem uterum tollo, & frictione contractiones promoveo. Si soluta placenta ad os percipitur, hac in uteri obliquitate, posset minister abdomen uti dixi curare, & obstetricans digitis ostio admotis, extractioni prospicere.

§. VII.

SOLUTA PLACENTA NON EXPELLITUR.

Dicto iam naturali secundinarnm partu, deflexiones a recta via exponi, atque ferendum debet auxilium doceri. Totidem sequentibus paragraphis de singulis anomaliis dicetur.

Prima erit, placentae contractionibus quidem facta solutio, sed non perfecta expulsio. Quando admodum lente contrahitur uterus, debilitatis prorsus viribus, accidit, raro quidem, ut solvatur placenta, orificium vero uteri non superare queat piae pellentium virium debilitate; idem ex constrictione naturali, vel spasmo orificium uteri claudente, evenire potest, contractionibus uterinis non regularibus, sed convulsivis. Solutae placentae signa iterum sunt eius ad explorantem digitum perceptio, simulque sanguis fluens.

Expeditissimum hoc in casu est manu utero immissa de promere secundas, idque cito fieri requiritur si cum periculo sanguis profluat; quem contra omnia lente procedunt, sanguis parca quantitate exit, & contractiones doceant quietescere, inertem non esse uterum, non est quod festinemus, una poterit expectatione alterave praeterlabi hora; quo tempore si non pellitur, eximatur vellem. Non quidem deficiunt Medici qui relictam placentam nunquam quid in corpore mali creasse statuant, quique si haemorrhagia aliudeve gravius

gravius symptoma non urget, nunquam eximunt, uti RUY SCH
qui 50 annorum spatio nullum ex relicta malum cognitum se
habere summopere contendit, placentamque semper elapsis
aliquot horis, diebus, quin mensibus sine ulla matris mo-
lestia fecutam esse; PLENCK (*i*) qui ad quindecim dies re-
stare, tandemque exire vidi, nullo in matrem redundantem da-
mno, nisi cuiuscausae obstetricis inepta manipulationes fuere;
VAN SWIETEN (*k*) qui post tridui moram integrum nec
putrefactam invenit; GEHLER (*l*) qui quarto die sponte sece-
denter notavit; & auctores quos ETTMÜLLER (*m*) citat.
Ex altera parte auctores, non illi solum qui semper extractio-
nem festinant, sed qui naturam sedulo respiciunt, copiosa
observata ex retentis secundis mala narrant. PARÉ (*n*) suf-
focationes uterinas oriri dicit, dum ex putrefacta vapores
ad cor atque cerebrum ascendunt. MAURICEAU copiosas ob-
servaciones habet placentarum cum & sine febre, suppura-
tione retentarum, femina vel sublata, vel restituta. PU-
ZOS (*o*) postquam inflammations & febres putridas se-
qui vidi relictam placentam, non amplius liquit. BAUDE-
LOQUE (*p*) relinquendam non esse placentam, praecipit, ne
morbi ex putrefactione oriatur.

Equidem qui sine urgente indicatione nequaquam manum utero ingeri vellem, casu de quo sermo hic est eximo manu secundas, do quidem locum habere quod primo citati auctores observaverunt, verum & negare illas observa-

C tions

(i) p. III.

(k) *Comm.* IV. 579.

(l) *De utero secundinas expellente* Diff. II. p. 9.

(m) Diff. cit. §. V.

(n) L. 24. C. 8.

(o) p. 146.

(p) §. 905.



tiones non ausim quibus retentam putrefcere constat placentam. Quumque nullum dari possit criterion, incorruptam abitaram esse, educendam suadeo. Ergo si contracto jam utero, horae fere spatio non sequitur illa, extrahendam puto; posset interim puerpera in conclavi ambulare, ut forsan redeant dolores expellentes. Qua ratione manus opera admoveatur sequente paragrapho dicam.

Si deficiens uteri contractio retinet placentam, flaccidum orificium facile penetrabit manus, spasmo autem si clauditur illud, difficulter aut plane non intrare valet. Hoc in casu, spasmus interdum aliquod post tempus solvitur, dum igitur mala non urgent symptomata, quod una fieri non potest hora, altera praestabitur, nonnulli auctores cum successu sese fatus & injectiones emollientes adhibuisse reliquerunt; his non proficuis, spasmos summo eorum remedio, opio scilicet tollerem, quod & PLENCK, (q) commendat, eoque minus dubitarem, quo magis haemorrhagiae, convulsionisve gravius symptomata urgeret. Alii auctores quum manu distendere os nequeunt, placentam relinquunt, & injectionibus in ipsum uterum factis impediunt, ne dum putreficit placentam, resorptio mali humoris sanguinem inficiat.

Interdum soluta placentam ostio interno uteri undique fortiter apprimitur, idque uti PUZOS (r) dicit hermetice claudit, quod & LA MOTTE (s) observavit. Gravis atque incommodus hic est casus, dum enim ori uterino firmiter placentam appressa est, sanguis qui ex apertis uteri vasis effluit, exire nequit, extus nihil appareat, interna autem fit haemorrhagia, cuius signum, elevatus nempe denuo sensim cum molitie uterus, quam primum appetet, protinus manum operi admo-

(r) p. 149.

(s) Obs. 378.

ad moveri requiritur. Cautela vero opus, tenui enim collo, difficulter orificium distinguitur.

§. VIII.

PLACENTAE ADHAESIO.

Multo frequentius sponte non exeuntis placentae impedimentum est eius non facta solutio. Plures huius rei causae ab auctoribus allegantur, uteri ex inertia non facta contractio, & firmioris adhaesione diversitates; si enim lateribus uteri non fundo accrevit, debilis laterum vis non separat adhaesionem (*t*), cellulosa stipatior contractiones eludit secundum BAUDELOCQUE (*u*), induratas partes nimiam adhaesionem produxisse idem (*x*) auctor est, quod & SMELLIE (*y*) asserit; fabulosam materiem in parte adhaerente placentae sese saepius invenisse testatur CHAPMAN (*x*), mihi videtur praecipua pertinacis adhaesione causa esse lobulorum superficie uterinae in placenta profundior in uterum radicatio & uteri in fulcos lobulorum quasi incuneatio, unde fortiter licet se contrahat uterus, non se relinquunt implicatae partes.

Quaecunque sit causa, placenta vel plane non vel par-
tim tantummodo solvit; rarius illud, vulgatissimum hoc.

Summam modo & rarissimam si uterus inertiam habet,
plane non contrahitur, suum volumen vix non semper ali-
quatenus minuit, & hinc, ut mihi videtur, aliquid saltem
de placenta solvit, quod autem, si sanguis non effluit, igno-

C 2

ratur,

(*t*) ROEDERER *Elementa*, Cap. XIV.

(*u*) §. 887.

(*x*) p. 239.

(*y*) §. 904.

(*z*) T. II. p. 453.



ratur, unde quoties sanguis non apparet, penitus adhaerere placentam dicere solemus. Quamdiu hoc obtinet, omnimodo cl. LE ROUX (*a*), qui expectari praecipit, assentior, horrida enim, semota placenta, ex inertis uteri hiantibus vasis sequeretur haemorrhagia.

Longe plurimae ex placenta calamitates oriuntur si una sui parte utero adhaeret, altera soluta est; princeps & periculosisima earum haemorrhagia est, vasa enim libera non constringuntur, quia uterus adhaerente portione placentae rite contrahere se nequit, pleno hinc rivo sanguinem emitunt illa. Aequa grave periculum est, si placenta media sui parte soluta, margine undique adhaeret, (*b*) cuius causa ut plurimum funis praecox & inconsiderata attractio est; tum quidem sanguis non effluit, interna vero haemorrhagia fit. Hinc omnes auctores praeciipiunt quam ocissime, manu ingesta reliquum esse separandum, omne eximendum; & omnino nihil potius fieri potest (*c*). Interdum moderate vel perparum fluit sanguis, quaeritur igitur, num & tum protinus auxilium ferendum sit; illi, qui nulla ex relictis secundis mala timent, rem sibi committunt, sperantes patientiam omnia vincere, qui contra putredinis vicem incurrere nolunt, manum operi admovent. Ex recentioribus nemo mihi notus est qui tantam naturae viribus fidem habeat, quam HARVIE, is enim, si uterus neque funiculi praeposteris attractionibus nec manu fatigatus est, diutius 19 horis nunquam placentam retineri afferit (*d*), in eo tamen non penitus sibi constat, quia paulo ante (*e*), naturam

tres

(*a*) *Obs. sur les pertes de sang.* Par. 1776. §. 87.

(*b*) p. 41.

(*c*) p. 32.

(*d*) Ibid. §. 62. 325.

(*e*) Parte placentae soluta dum haemorrhagia gravis adfuit, SMELIE III. 508. viginti guttas tincturae Thebaicae exhibuit, cessavit fluxus, & sponte secessit placenta.

tres interdum dies imo ultra impendere posuit. Evidem
puto, si uterus, horae unius post partum spatio, contraxit
se, placentam vero retinuit, & nullum interim periculum
minans sanguinis profluvii apparuit, neque internae haemorrhagiae signa adsunt, de sequente haemorrhagia nihil
esse pertimescendum, & eatenus patienter posse eventum
expectari. Ex altera autem parte placentam non putrefactare
sensim spondere non ausim, & non perspicio quid hoc in
stadio mali ex manus opera necessario debeat oriri, si non
ruditer proceditur; ea igitur nunc uti vellem. Prius tamen
quam hoc fiat, non praetermittatur remedium quo ROEDE-
RER (*f*) in nosocomio Goettingensi saepius usum se esse
tradidit: in cubiculo scilicet incedat & ambulet aliquoties
puerpera, doloribus hinc supervenientibus uterus se con-
trahit, atque placentam sine ullo auxilio expellet.

Tandem si manum adhibere constitutum est, sequentia
observanda erunt: Femina supina, manus, ad ductum fu-
niculi, dorso suo latus posticum vaginae spectans, pingue-
dine laevigata, & in conum angustata ingeritur, ori uterino
digitus unus post alterum immittitur, quo sensim dilate-
tur; omnis si manus penetravit ducente semper fune, &
ad placentam perventum est, a loco insertionis funiculi ad
marginem promovetur, & quidem si pars aliqua secundina-
rum soluta iam est, ibi reliquum solvere incipit; sin tota
undique adhuc firmata placenta est, bene explorent digiti,
num membranae adhaereant, num ne, adhaerentesque ab
utero abducant, ut manus inter illas atque uterum sit.
Placenta vero ita solvatur: digiti in planum iuncti, & se-
cundas inter atque uterum locati, alternatim hunc repre-
munt, illas adducunt, & paulo intimius quavis vice pene-
trant; solutio cito fiat, ne diu durent dolores, non violen-

(*f*) *Opusc.* T. I. P. I. p. 481. est Diff. *de Causis necessario mortem in partu inferentibus* Resp. ZEIS. §. XV.



ter vero, ne laedatur uterus; quod solutum de placenta est, pollici semper & reliquis manus digitis interponitur; ergo si tota soluta est, manu iam comprehenditur, antequam extrahatur bene circumspicitur, num omni in parte soluta sit; dum extractio fit, manus simili quo in introductione modo dirigatur, simulque funis altera manu adducitur. Sub solutione iuvat uterus altera manu abdomini imposita retineri, ne vagetur. Si obliquitas antica locum habet, digiti manus non solvunt placentam, sed pollex.

§. IX.

PARTES RELICTAE.

Quam primum educita placenta est, bene examinari debet, num integra fit, numve remanserit quid. Non defunt & hic qui reliquias nihil mali secum trahere putent, uti HARVIE (*g*), tristia vero magno numero contrarii effectus prostant exempla; haemorrhagias externas & internas actu lethales, vel mortem saltem minantes observavere MAURICEAU (*h*), LA MOTTE (*i*), LE ROUX (*k*); febres eiusque gravissima symptomata, quae tamen, simul ac causa mali exempta erat, cessavere, iterum MAURICEAU (*l*), PARÉ

(*g*) p. 42.

(*h*) *Mal. des femmes grosses.* p. 358.

(*i*) *Obs.* 390, 392.

(*k*) §. 75. sq. 128. sq. 333.

(*l*) l. c. p. 256. *Obs.* 129.

RÉ (m), SLEVOGT (n), CHAPMAN (p), MORGAGNI (q) aliique.

Igitur sive Medicus modo, dum dira haecce terrent; accersitus, placentae partes restitasse videat, suspiceturve, sive ipse placentam extraxerit, videatque integrum secutam non esse, protinus manum denuo inducat, & quicquid anomali occurrit, placentae reliquias grumosque sanguineos, extrahat. Verum parimode observatio docuit, partes placentae induratas, scirrhosasque, uti vocant (r), tenacissime utero adhaerere, & separationem, quaecunque adhibetur cura, laesiones uteri & haemorrhagias, quae antea non fuerunt, tum demum creare; istae proinde, vi nullatenus avelli, sed relinqu debent, quippe quae sensim sponte solutae exibunt; injectiones autem in uterus fieri, ne, si forsan putrefcant, inficiantur resorptione putridi humores.

Periculosiorem licet membranarum partis relictionem, quam placentae, putet PEU (s), nihil tamen molesti sequitur, paucoque tempore secedunt (t); interdum orificio interno

(m) p. 497.

(n) Diff. de Aegra retentione secundinarum laborante, Resp. SEYFARTH, Jen. 1704.

(p) p. 132.

(q) De Sed. & causis Morb. Ep. 48. n. 28.

(r) SMELLIE, T. II. p. 453, 457. BAUDELOCQUE, §. 904, 905.
THEBESIUS, §. 474.

(s) p. 497.

(t) SMELLIE, T. II. p. 462., quarto post partum die per facile exiisse monet. LA MOTTE, Obs. 396. vero febrem ex retentis vidi, sed semel modo id sibi contigisse refert, hanc tamen ob rationem sedulo purgari uterus iubet.



terno obvertuntur, & lochia effluere prohibent, sensim vero ab eis per uteri collum atque vaginam transprimuntur, & farciminis forma prodeunt, uti notum.

§. X.

FUNICULUS ABRUPTUS.

Si placentae adhaerentis funiculus nimium adducitur, rumpitur. Accidit hoc in foetu perfecto eo facilius quo crassior est funis, in immaturo quo junior est foetus, in mortuo, quod diutius de vita cessit. Vehementer terrere hoc symptoma obstetrices solet, quae deficiente duce, placentam non amplius inveniri posse putant, protinusque accersent medicum, placentam, quae contractionibus uteri soluta interim est, propulsaque, ex ipsa vagina perfacile eximentem. Omnes qui hunc casum tetigerunt auctores (*u*), manu jubent utero immissa placentam deglubere atque eximere: non semper autem festinandum est; ut plurimum rumpitur funis, si non expectatis uteri propriis contractionibus ruditer attractus est, solvitur autem sine auxilio placenta, dummodo utero, propriam vim exercendi, tempus concedatur. Igitur si nulla urgent molesta symptomata, moram agat medicus, & uteri contractiones abdomen fricando, & feminae ambulationibus promoveat. Si contra periculum minantia adsunt, vel debilibus non poterit feminae doloribus propelli placenta, & retineri videtur haec, manu ingesta auxilium feratur. Placentae, quae penitus adhaeret, superficies foetalis ab uteri superficie distinguitur
vaso-

(*u*) MAURICEAU, *Mal. des femmes grosses*, p. 251. DIONIS, p. 228.
LA MOTTE, p. 725. sq. AMAND, *Obs.* 87. CHAPMAN, p. 135.
Malum dicit funem rumpi, quod soluta placenta, praesente fune,
facilius extrahatur. PUZOS, p. 142. LEVRET, *Art. &c.*
§. 790. SMELLIE, T. II. p. 460. FRIED. §. 200, 201. STEIN,
T. II, §. 492.

vasorum in illa ramificatione eminente; membranas distinguit laevor. His igitur atque utero interposita manus, solutionem & extractionem perficit uti §. VIII dictum.

§. IX.

PLACENTA INCARCERATA.

Primus, quantum mihi constat, hujus anomaliae mentionem facit POU (x) interdum facco vel cellulae solutam adhaerentemve inesse placentam referens, eam deinde plurimi observatam descripserunt (y). Convulsionibus hocce vitium tribuere primi auctores, verum recte sequentes observant, ut plurimum incarceratam (*enkysté*, *chatonné*) placentam nullas praecessisse convulsiones, & omnino nihil, praeter inaequalem uteri contractionem, ejus causam esse. Quoad sedem etiam bipartitae opiniones sunt, aliis in fundo, in lateribus aliis eam esse existimantibus. In fundum collocavit SIMSON, uti dictum, latera autem tenere putavit LEVRET. Quem-

D

cun-

(x) p. 508.

(y) SIMSON *Obs. au sujet du Placenta; des deux cavités de l'uterus* &c. in *Eff. & Obs. de Méd. d'Edinbourg*, T. IV. p. 112. singularem sibi mente formavit ideam, uterum nempe (p. 147.) duo habere cava, superius s. fundum, quod placentae, & inferius quod membranis dicatur; argumenta eius exponere huius loci non est, excepto illo quod maximam veri speciem habet, placentam nimirum, quam aliquando in facco distincto reperit. Alii hac de re auctores sunt: LEVRET, *Suite des Obs. sur les Acc. Lab.* p. 125. sq. HARTTRAMFFT, §. VIII. SMELLIE, T. I. 248. T. II. 456, 459. PLEVIER, p. 170. CRANTZ, p. 150. ROEDERER, §. 352. THEBESTIUS, §. 470. DELURYE, §. 864. BURTON, II. 88. STEIN, II. §. 495. LE ROUX, §. 96, 118. SOMMER, *Beob. und Umr. über die in der Gebärmutter zurückgebliebene, und in einem Sack eingeschlossene Nachgeburt*, 4. Braunschv. 1768. BAUDELOCQUE, §. 917.



cunque locum uteri occupet placenta, si debilior reliquo minus contrahatur ille, simulque firmius adhaereat placenta, infaccum circa hanc contrahetur uterus. Vera atque *completa* incarceratio, ubi toto in uteri cavo nil de placenta invenitur sed paruum modo foramen, per quod, si abruptus non est funis, in aliud cavum quod utero alienum plane esse videtur, pervenitur, oppido rarius observatur: *incompleta* vero, ubi pars placentae constricta uteri parte comprehenditur frequentissime occurrit; hanc natura sensim removet, illa auxilio indiget. Si ergo horae fere post partum spatio placenta, sive solutae signa adsint seu nulla, non sequitur, & manu eximere eam constitutum est, manus vero utero ingesta vacuum reperit, & parvulum foramen, quod cum abdomine communiare videtur, funemque transmittit, (fune abrupo difficulter foramen reperitur); huic caute digitus immittitur, dein alias additur, atque fit dilatatio, sensim alii junguntur, usque dum tota manus superaverit, placenta tum si soluta nondum est, prudenter deglubitur, eximiturque. Quo facto protinus denuo manus in uterum demittatur, coagula sanguinis ex cystide promantur, atque expectetur, donec cystis contractione evanuerit; si enim, hoc neglecto, remanet illa, formantur sanguinis grumi aperturam obstruentes, haemorrhagiam, dum legitima contractio praepeditur, sustinentes, gravesque posticos dolores moventes.

§. XII.

PLACENTA OSTIO UTERI INHAERENS.

Ex professo de isthoc infortunio agere, hujus loci non est. Relego ad LEVRET (z), BRAND (a) auctoresque ab

(z) *Suite des Obs. sur les Acc. Lab.* p. 51. sq.

(a) *Diss. de Secundis ambitui ostii matricis interni adfixis.* L. B. 1770.

ab eis citatos, & recentiores ab eorum tempore observatores STEIN (*b*), AEPLI (*c*), LE ROUX (*d*), BAUDELOCQUE (*e*) &c. Mihi eatenus modo thema hocce tractare incumbit, quatenus naturae error manuum opera corrigendus est. Igitur si iteratis in graviditate occurrentibus haemorrhagiis suspicioni locus datur, & exploratione, qua corpus undique molle per apertum orificium digito percipitur, confirmatur, ostio uterino radicatam esse placentam, pro haemorrhagiae vehementia citius tardiusque succurrendum est. Quum nimirum, quodcumque sit graviditatis stadium, mitior est haemorrhagia, quies in lecto, abstinentia, saepius ad finem produci illam, permittunt, & expectari ostii uterini emolitionem; terrente contra haemorrhagia, non tam vi debet aperiri ostium adhuc durum, quam, docente LE ROUX (*f*) linteis molibus aceto imbutis vagina repleri, quibus exceptus sanguis sistitur & exire prohibetur, simulque vi continuo sed leniter premente collum extenditur. Emollito tandem atque aperto orificio, manus lubrica placentam inter, atque collum ingeritur, eo in loco, ubi, si quaedam est separatio, facta esse percipitur; ascendit manus ad membranas usque, has lacerat digitis, & eo momento cavum ovi intrat, pedes foetus prehendit, extrahitque puerum. Quo facto, confessim deuuo manum infert medicus placentamque omnem separat, solutamque eximit, cum grumis sanguineis.

D 2 §. XIII.

(*b*) II. §. 468. sq.

(*c*) p. 113.

(*d*) I. c. §. 20. sq. 299. sq.

(*e*) §. 925. sq.

(*f*) §§. cc. & §. 264. sq.



§. XIII.

PLACENTA GEMELLORUM.

Jubent principia obstetricia, non prius placentae curam esse habendam, quam foetus, si plures adsunt, omnes exiere, quia ut plurimum gemelli unam habent placentam, duas ue concretas. Cognoscitur autem nato foeto uno, alterum adesse, parva abdominis diminutione & remanente tumore maiore, praeduro; praecipue vero exploratione interna, ubi vel denuo membranae tensae sunt, vel si antea ruptae sunt, pars quaedam infantis perquirenti digito occurrit. Quum ergo foetus lege artis omnes prodiere, & jam placentae animus advertitur, omnia observanda sunt, quae circa foetus unici secundas supra dicebantur; contractiones scilicet uteri, ejusdemque expulsiones expectentur, & prout ibi unus, sic nunc bini funes eisdem digitis circumvolvantur; si que in alterutro deficeret natura vel gravius aliquod moram non ferens symptoma superveniret, illo succurratur auxilio, quod supra dixi, manu nempe.

§. XIV.

PLACENTA ABORTUS.

Saepius fieri solet, partu, qui primis graviditatis mensibus fit, totum ovum simul abscedere, parvum enim quia est, & placenta fere undique circumdatum, membranae hinc robustiores difficulter rumpuntur; exempla tamen non pauca sunt, exiisse foetum restantibus secundinis, quae mala creverunt symptomata. Dispiciendum proinde est, qua ratione his medela ferri possit.

Primo tamen minus graves lustrabo casus, ubi nimirtum egresso foetu, retenta sine damno placentula est. Hanc prae-

coci-

cocibus illis temporibus diebus aliquot vel septimanis post passum abortum a natura expulsum esse auctores (*g*) testantur; praecipiunt igitur (*h*), naturae rem esse relinquendam, praecipue manui locum non dari, utero adeo minato durissimoque, atque vagina saepe, in primiparis nempe, admodum arcta. Potest tamen uno duobusve digitis ori uterino admotis, pars prominens prehendi extrahique, quin digito trans collum in ipsius uteri cavo nonnunquam separari, eximique placenta (*i*); hoc primo saepe tentamine non succedit, sed diebus aliquot post repetito, factis interim injectionibus, datisque clysmatibus, tum ut plurimum levior praecedere solet haemorrhagia. Negotio huic egregie subvenit forceps minor LEVRETI (*pince à faux germe*) (*k*), quo non prehendi modo placenta, sed & parum uteri collum extendi potest. Minus placet instrumentum quod eundem ad scopum excogitavit BURTON (*l*). Placenta, quam nec natura nec auxilia demunt, suppuratione cum vel sine febre exit (*m*).

D 3

Acci-

(*g*) MAURICEAU, *Obs.* 164, 385, 395. GEHLER, *Diff.* II. p. 9.
HARVIE, p. 34.

(*h*) MAURICEAU, *Tr. des Mal. des f. gr.* p. 257. DIONIS, p. 226.
PUZOS, p. 147. LEVRET, *Art des Acc.* §. 791. BAUDELOCQUE,
§. 944. praecipit medicum, si momento abortus praefto est, digitos
orificio uteri immittere, quo contractionem impedit, promoveat
maiorem extensionem, & egressum placentae. Si post ea demum
vocatur, naturae rem esse committendam.

(*i*) MAURICEAU, *Obs.* 75, 176, 208, 235, 164. LA MOTTE,
p. 733. sq. CHAPMAN, p. 132, qui nunquam relinquendam pu-
tat, ex haemorrhagiae metu, simulque DIONIS, l. c. carpit,
quod remanere posse concesserit.

(*k*) *Suite des Acc. Lab.* p. 468.

(*l*) T. I. p. 456, §. 153. Tab. XVII. fig. 19.

(*m*) MAURICEAU, *Obs.* 244, 297, 362, 414, 462. &c.



Accidit interdum, ut, dum relicta placenta est, febres surrexerint cum capitis abdominalisve insigni dolore, non remittentibus ante quam extracta fuerit placenta (*n*): tum igitur eo majori cura quaecunque exitum perficiunt, adhibenda erunt.

Inter illa vero quae incidere possunt symptomata nullum periculosius haemorrhagia est, nullumque frequentius (*o*), nam nisi faustissimo, sed rariore, eventu sponte solvitur, & cum sanguine eluitur placenta fluoris causa, ad mortem durare solet illa. Quare digitorum atque forcipis ope confessim allaborandum est ut semoveatur mali fons, quem autem pertinaciter clauso ore uterino ista non proficiunt, linteis iterum carptis & aceto imbutis, ad mentem LE ROUX fanguini obex ponitur.

Si post tertium mensem abortus factus est, eo major extensio & mollities uteri, eoque facilior digitorum opera est, quo termino graviditatis vicinior partus.

§. XV.

AN EGRESSA PLACENTA MANUS UTERO INTRODUCENDA?

Quod quemvis post placentae partum vel naturalissimum manus immittenda sit, ut exploretur num heterogeneum quid adsit, utque reliquiae & coactus eximatur sanguis plurimi auctorum fieri jubent (*q*); hoc in illis non miror, qui ipsam placentam, a natura expelli nolentes, manu promunt,

ve-

(*n*) MAURICEAU, *Obs. 119. Tr. des Mal. des femmes grosses*, p. 257.
AMAND, p. 138.

(*o*) Ej. *Obs. 43, 104, 154, 179, 338, 474. LA MOTTE*, p. 734.
AMAND, p. 105, 120, 136, 140, 196. VIARDEL, p. 120.

(*p*) I. c. §. 276. sq.

verum nescio, quid anxietatis illos incurrit qui uteri viribus propriam exonerandi molem tradunt curam. Equidein arbitror, nunquam manum, si hucusque immissa non est, absolutis omnibus ingerendam esse, certus, illam vim quae foetum atque placentam pepulit, plusquam purgando a reliquiis utero sufficere; hancque sententiam mecum alunt SWIETEN (*r*) & HARVIE (*s*). Ponunt quidem adversantes, interdum corpus heterogeneum superesse haemorrhagiae, dolorumque posticorum causam; nescio quid ejusmodi corpus sit, si neque abortivum ovum est, neque grumi sanguinei, neque polypus; hunc manu avelli nefas, illa corpora extrudunt contractiones; non intelligo quid carnosa massa esse debeat, quae cellulosa stipata firmiter utero adhaeret, nam sive vasculosa est, sive inorganica, illo in casu vasa cum uterinis communicant, tumque polypus est, inorganica vero massa quid sit, & quomodo formetur mente non capio, neque hic existere putem, quae nullibi in corpore humano reperitur (callos, exostoses &c. inorganicas non esse subtiles iniectiones docent).

Si autem placenta manus ope ex utero desumta est, utique posthinc denuo immittatur haec & prudenter averruntur omnia.

§. XVI.

QUID OBSTETRICIBUS PRAECIPIENDUM.

Obstetricum officium est partus naturalis esse ministras,
&

(*q*) MAURICEAU, *Tr. des Mal. des femmes grosses*, p. 250. DEVENTER, p. 250. HOORN, p. 67. CHAPMAN, p. 238. PLEVIER, p. 82. THEBESIUS, §. 312. STEIN, I. §. 644.

(*r*) *Comment. IV.* p. 579.

(*s*) *I. c.* p. 17.



& quicquid ab hoc deflectit, reparare mulieres non debent. Igitur, prouti, me iudice, vertere infantes illis non conceditur, ita & placentam manu extrahere non velim; sed egresso foetu, placentam patienter expectare, nunquam attrahere funem, explorare manu abdomini imposita, num contrahatur uterus, & digitis ostio uterino admotis, num percipiatur placenta, quumque haec ostium partim superavit, digitis aliquot eius exitum promovere, uti supra praecepi. Quod si vero, horae fere spatio placentam exire non videat obstetrix, medicum virum accersat.

Hoc quidem in civitatibus, ubi medici sunt qui artem obstetriciam exercent, fieri potest, ruri autem alia res est. Valet tunc illud: Melius esse anceps adhiberi remedium, quam nullum. Ibi quum desint medici, & omnia peragant mulieres, sane praefstat his casus exponi qui manus operam postulant, & doceri, quo modo ferri debeat.

